



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar


Nürnberg, 1682

Thierhauptum, superioris Bavarix celebre cœnobium, ad Achium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

it coenobium anno 1516. quod ipsa mediocriter iterum crexit & instauravit.

21. *D. Scholastica à Pappenberg*, ex Pergensi conventu evocata, constituitur Surmuntoriana Abbatissa in Martio anni 1545. Præsides laudabiliter & utiliter hoc adhuc currente anno 1551. Sub ejus gubernatione coenobium direptum & spoliatum est in bello Germanico seu Schmalcaldico, ut vocant, cum à Sebastiano Schertlione, civitatum Imperialium duce, tum à vicinis civibus Hohenwartensibus. Proxime enim coenobio adjacet ejusdem nominis præclara Marca, quæ Bavarorum Duci paret.



HIERHAUPTUM, superioris Baviaræ celebre coenobium, ad Achium, pisculentissimum rivum, non procul à Lyco, tribus ab Augusta Vindelicorum & totidem à Danubiana peninsula (hodie Danawerd) duobus vero à Khaino Bavarorum oppido milliaribus, in colle (ex quo & Augusta & Donawerda videri possunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fecundo & maxime fertili loco situm, ab animali seu fera (quæ in venatione ibi Thassilonis Ducis filium trucidavit) sic dictum, ordinis *D. Benedicti*, diocecesis vero Augustanæ. Idinquam fundatum & inchoatum legitur in honorem Divorum Petri ac Pauli Apostolorum, à magnanimo ac potentissimo Bavarorum Duce, Thassilone, anno Domini 570. quo ferè tempore idem Thassilo Wesfenbrunnensem ejusdem monastici instituti Abbatiam crexisse dicitur fundator. Thassilo adversus Imperatorem Carolum Magnum aliquoties rebellis, tandem sub jugum missus, monasterio *S. Nicolai Pataviensi* inclusus legitur: ubi tale ejus extat epitaphion:

*Thassilo Dux primum, post Rex: monachus sed ad imum:
Ldibus à terris decesserat ille Decembris.*

Obiit anno Domini 787. mense Decembri. Is Odilonis Bavarorum Ducis, ex Hiltrude, Pipini Regis sorore, filius fuisse legitur, multorum coenobiorum fundator. Auctum vero, lo-

cuple-

Kaino.

*Wesfenbrunn.
S. Nicolai coenobium Pataviense.*

Thassilo.

cupletatum, & post primam incinerationem quasi denuo reædificatum ac secundario fundatum est Thierhauptum à Lothario, Ladvici pii filio tertio, Germanico Imperatore, annum Christi circiter 846. Tertio vero renovatum & auctum est à Gebhardo, Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopo, Wittelsbacensi Comite Palatino, ejusq; germano fratre Rapathone, fundatore Summuntoriano, Rapathonisq; conjugè, Domina Hemma, alibi Benedicte, Comitissa in Werdæa, anno Dominicæ Incarnationis 1022. à quorum posteritate semper deinde in pretio habitum, auctum & ampliaturum est, quæ celebre ibi habuit reconditorium. Habet hoc cœnobium in ea ipsa vicinia ultra Lycum præclaram arcem Kullental, cujus incolæ ac Domini olim Comites erant. Subjugarunt vero eam anno 1270. Dapiferi à Dornsperg, qui vicissim eam anno Christi 1361. Domino Marquardo, Episcopo Augustano, vendiderunt. Sunt in eadem vicinia plura castra, Biberbachium à castoribus (quorum ingens ibi copia est) dictum: & Dornspergum, à quo Dapiferi supra nominati originem suam trahunt, hodie dirutum ferè. Est in hoc ipso Lyci tractu, non procul ab arce Kullental, cœnobium Virginum Deo dicatarum, Holtz dictum, quod gubernatricem Magistram habere semper solet. Versus Rhainum Bavarorum oppidum est Dominorum Fuggarorum præclarissima, Oberndorffum, ad Lycum amnem sita, quam D. Antonius Fuggarus maximis sumptibus construxit. Abbatum Thierhauptensium talis à me consutus est catalogus:

1. *Ulinus* eligitur & constituitur ab ipso fundatore, D. Thafilone, anno gratiæ 752. quamdiu vero præfuerit, in annales non est relatum.

2. *Gulielmus Uli*no successit: sed nec de isto quicquam amplius libris mandatum extat, quemadmodum etiam de successoribus aliquibus.

3. *Marquardus*, alibi Madegoldus.

4. *Henno*. Post hunc aliqui desiderantur, quorum nomina ad nostri seculi notitiam minime pervenerunt: eversum enim est funditusq; ferè deletum Thierhauptensè hoc monasterium,

Zzz 2

ab

ab undiquaq; per omnem Sueviam ac Bavariam impune penè sub Imperatore Ludovico III. grassantibus Hungaris, qui tamen ad Lycum tandem (post maximam harum regionum vastationem) ab hoc Imperatore Ludovico magna clade affecti sunt.

5. *Humbertus*, aliis *Himbrico* dictus, post tertiam cœnobii restaurationem (quæ à Gebhardo, Ratisbonensi Episcopo, apud S. Emeranum Ratisbonæ sepulto facta legitur) præsidere coepit, annum Christi circiter 1020. Decessit vero cum ab officio tum ex hac momentanea vita anno Christi 1036.

6. *Haymo* Humberto successit.

7. *Odevinus* Haymoni.

8. *Godescalcus* Odewino.

9. *Arnoldus* Godescalco.

10. *Marquardus* Arnoldo.

11. *Erckhenboldus* Marquardo.

12. *Henricus* Erckhenboldo. Is benefactricem habuit sui cœnobii maximam, piam admodum ac nobilissimam fœminam, Gebham de Bach, quæ & aurea & fericina ornamenta plurima dedit templo Thierhauptensi.

13. *Udalricus*, cognomento *Vulpes*, præfuit anno Domini 1308.

14. *Henricus de Höchstetten*, instaurator cœnobii hujus per incendium collapsi. Obiit is anno Christi 1353. Nihil enim aliud de eo scriptum reperitur usquam, quàm quod resignarit.

15. *Conradus* Henrico subrogatus est. Obiit is anno 1366.

16. *Udalricus*, ex monacho Schyrensi Abbas Thierhauptensis designatus, præfuit annis sex. Decessit anno 1372.

17. *Ernestus*.

18. *Georgius*.

19. *Joannes*, vir magni ingenii, optimi consilii & meritorum maximorum, Ludovici Bavarorum Principis consiliarius: sub quo cum incendio periisset monasterium, instauratum id ipsum ab eo est magnifice anno Domini 1403. Obiit anno Christi 1406.

20. *Ulricus* de Lutzelnburg.

21. *Joannes Bruno* obiit anno 1439. Sepelitur in ambitu.
22. *Fridericus* præfuit annis 17. Obiit anno 1456.
23. *Thomas*, optimus initio monachorum institutor, postea ad Abbatia gubernationem assumptus, utilissimus etiam paterfamilias, præfuit annis septem. Obiit anno 1463.
24. *Henricus Nervus* præfuit annis 15. Desiit esse inter mortales anno Salutis Christianorum 1478. Post ejus obitum vacavit Abbatia annis duodecim, quibus in manu ac potestate secularium fuit, quorum negligentia & incuria ad summam angustiam res cœnobii hujus deductæ sunt.
25. *Georgius* eligitur anno 1489. sed quamdiu præfuerit, ignoratur.
26. *Joannes à Westernach* successit Georgio, vir nobilis, sed de quo nihil amplius annotatum reperitur.
27. *Udalricus de Werdea* præfuit anno Domini 1491. Post ejus obitum iterum præfuerunt huic loco quatuor seculares, scilicet quidam de Wittelsbach, & Thomas Gaulrapp, Wolfgangus quidam Conversus in Altonis monasterio, de nobili prole Gandizellorum, & Castelius Ernestus, parochus in Neunkirchen, qui præfuit usque ad Abbatem Joannem. Translata erat gubernatio ad seculares, quod monachi & Abbates negligentiores fuissent & minus curiosi de spiritualium administratione. Sub hoc Castelio reformatum & reconciliatum est cœnobium anno Domini 1494. à Joanne, Episcopo Adrimitano.
28. *Joannes*, cognomento *Hardlieb*, pauperum & egenorum sustentator fidelissimus & benignissimus, resignavit Abbatiam anno Domini 1501. Obiit anno 1505.
29. *Petrus Hamaxurgus*, ex Augustano S. Ulrici conventu evocatus, successit resignanti Joanni. Præfuit per decennium laudabiliter. Vidit in bello Bavarico & cœnobium & pagos suos exuri: quo tempore ipse per biennium exulavit Augustæ. Tandem vero pacata iterum Bavaria, suis redditus ita cœnobium instauravit, ut ejus secundus fundator dici meruerit. Obiit anno 1511.

Zzz 3

30. Leon-

30. *Leonhardus Græcus*, ex D. Udalrici Augustano conventu & sodalicio unanimi omnium fratrum consensu accitus est anno Christi 1512. Is præclare ea absolvens omnia, quæ pro restaurando monasterio ab antecessore erant inchoata, laudabiliter præfuit annis 21. Reddidit Abbatiam conventui anno Domini 1533. Obiit sexto mense à resignatione in vigilia S. Laurentii. Sepelitur in ambitu, cum digno virtutum & meritorum suorum præconio, parieti inserto.

31. *Joannes Rumpffardus*, Conventualis apud S. Ulirum Augustanum, assumitur in Abbatem Thierhauptensem anno 1533. Præfuit utilissime & summa cum laude annis quatuordecim. Sub ejus gubernatione sepelitur in hoc cœnobio anno Domini 1540. in ipsis Nonis Martiis Joannes Könlin, Abbas Ulrichianus cum tali epitaphio:

Hic jacet, Augustæ quondam qui floruit Abbas,

Joannes Kienlin religionis bonos.

Si queris, cur non propria tumuletur in æde?

Quod Lutheranam respuit ipse fidem.

Vidit Abbas hic Rumpffardus magno animi dolore, anno Domini 1546. in bello Smalcaldico bis cœnobium suum diripi, primum à Landgravianis & Smalcaldicis confederatis, moxq; iterum ab Hispanis. Resignavit gubernaculum anno sequenti, decima Maij, cum paulo ante in hoc cœnobio suo sepelisset Andream Lucium, Abbatem Fultenbacensem, qui metu confederatorum Thierhauptum concesserat. Obiit ipse postea anno 1548. languore ac mœrore animi consumtus in ipsis Idibus Martiis. Sepelitur in templo Thierhauptensi cum tali epitaphio:

Joannes Rumpffard, multo qui præfuit Abbas

Sudore in Thierhaupt, hac requiescit humo:

Quem si transferis Christi quandoq; fidelis,

Tu Christo precibus conciliato piis.

Ego ab Abbate successore rogatus eundem tumulum tali epigrammate oneravi.

Rum:

Rumpffardus cubat hic venerabilis ipse Joannes,
 Qui fuit hac Abbas dignus in æde sacra.
 Temporibus cujus bellum bis exarsit in oris,
 Adversus caput, & Carole Quinte, tuum.
 In quo bis miser ille pater sua diripi ubiq;
 Moenia vidit, & hæc condita templa Deo,
 Primum à Germanis Hæffis, rigidisq; Sue vis:
 Cæsar, ab Hispano milite deinde tuo.
 Hæc clades rabiesq; seni mortem attulit atram,
 Quæ potuit nobis abripuisse virum,
 Perpetuam cujus laudem nulla obruet ætas
 Interris: pia nam spiritus astra tenet.

Eundem Abbatem tali epitaphio honoravit & posteritati
 notum esse voluit Magister Beatus Dinnerus Uberlingensis.

Uno è fonte oritur, totus quod continet orbis,
 Et similem ad metam singula quæq; cadunt.
 Quicquid enim natum est, id rursus obire necesse est:
 Hanc voluit legem rebus inesse Deus.
 Hinc ea fors homini est, Dominus quam dixerat Adæ,
 Non permansurum (qui foret) esse diu.
 Divitiæ fugiunt, & opes aurig; talenta:
 At nudum vermes corpus & ossa vorant.
 Ergo quicquid agas, sortis memor esto misellæ:
 Sola manet pietas: cætera mortis erunt.
 Non parcat Lachesis cuiquam, verum omnibus æqua,
 Ut forti, timido sic sua fila secat.
 Sic dites inopesq; omnes, pueriq; senesq;
 Nolint si ve velint, hac quoq; lege ruunt.
 Hæc eadem rapuit nobis pietate Joannem
 Rumpffardum, insignem & dexteritate virum.
 Rexerat is bene Thiernhauptum, cui præfuit annis
 Bis septem totis, dogmata sacra docens.
 Unde manent ipsum hic laudes, alio bona cæli
 Possidet in seculo, præmia digna piis.

*Tu quoq; nos olim duc (qui regis omnia solus)
Ad quæ es pollicitus gaudia vera, Pater.*

32. *Joachimus Fendius*, patria Faucensis, è S. Ulrici Augustana Abbatia evocatus, præficitur Thierhauptensibus cœnobitis Abbas decima Maji anno Christi 1547. ætatis suæ 34. vir procerus, Latinarum literarum non ignarus, humanus & hospitalis. Is hoc adhuc præsidet currente 1551. anno fideliter & feliciter. In ejus gratiam de cœnobii hujus prima origine tale lusi superiore anno, cum ex Augustanis Comitibus visendi ejus loci ergò exspatiatus essem, heroicum epigramma, parieti templi infertum.

*Thassilo, Bojorum dux, Longobardicus & rex,
Ex Odilone satus Regisq; sorore Pipini,
Hiltrude, has primus superis erexit & aras
Et sacras ades, monachorum ut ser viat illic
Collectus cœtus Domino, Gnatog, Patriq;
Spirituq;, Deo trino, virtute sed uni.
Condidit at, quod (dum venator retia tendit
Insidiasq; feris) gnatum amisisset ab una,
Hoc in rure, fera percussum a videq; peremtum.
Quod, lector, Joachimus ego te Fendius Abbas
Scire volo. Tu fundatori læta precare,
Omnibus atq; bonis in nostra hac æde sepultis.*

TRUTTENHUSIUM, cœnobium ordinis Canonicorum regularium S. Augustini ad pedem altissimi montis S. Otiliæ in Alfatia ad Vosagum perameceno loco situm, fundatum est in honorem Beatae Virginis Mariæ, ac S. Nicolai Episcopi, sub Lucio ejus nominis III. Pontifice Maxim. Imperatore verò Frederico Barbarossa, Sueviæ & Alfatia Duce, potentissimiq; S. Otiliæ cœnobii advocato, anno Domini 1181. à Domina Herrade, insigni ac doctissima Abbatissa in Altitona sive S. Otiliæ monasterio, & à Domino Gunthero, germano fratre prædictæ Abbatissæ, nobili viro de Winheim & Lantsperg, ex ejusdem prædio quodam, quod ipse libere dedit, ad